INDEX

LECTIONUM

terris
Q. Hor.
e lite
h;

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI HIBERNO A. MDCCCLXXIII—LXXIV

INDE AB DIE XV M. OCTOBRIS

PUBLICE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

ADVERSARIORUM

PARTEM DECIMAM

F. V. FRITZSCHIUS

PRAEMISIT.

LITERIS ADLERIANIS.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010



ADVERSARIA.

§ 11.

De Lysiae oratione in Agoratum.

Lysias olim Romanis tantae admirationi fuit, ut nonnulli hunc unum oratoribus atticis omnibus id est etiam Demostheni praeferre non dubitarent. Tullius ipse, cui solus Demosthenes orator esse videbatur perfectus et cui nihil admodum desit, Lysiam tamen concessit egregie subtilem scriptorem esse atque elegantem, quem jam prope audeas oratorem perfectum dicere (in Bruto c. IX.). Equidem cum plerisque consentio, qui admirari Demosthenem solent, cujus rapide fertur quasi torrens oratio, et iidem multum amant Lysiam tanquam fontem quendam aquae dulcis cum lenitate aequabiliter profluentem. Quem Lysiae amorem optimi maximeque attici scriptoris ut in animos juvenum, qui disciplinae meae commissi sunt, mature transfunderem, unam certe et item alteram ex eis Lysiae orationibus quae aetatem tulerunt sive in scholis sive in seminario diligenter putavi interpretandas esse et critici munus hic quoque in me recipiendum. Sed in hoc negotio mihi jam olim adversa multa fuerunt. Nam illo ipso tempore, quo Foertschius meus in Praefat. p. VIII (edit. a. 1829) J. Bekkerum dixit prudentissime cautissimeque editoris munere functum esse raroque aliis ab se dissentiendi copiam fecisse, ego etiam tum juvenis Lysiam adsiduo tractare coepi. Sed quum vidissem cum Bekkero, cujus tanta tum esset in ipso etiam Lysia auctoritas, saepe mihi depugnandum esse multis locis aliter constitutis: veritus ne juvenis „expudorata fronte“ plerisque esse viderer, de studiis meis in Lysia poni coeptis interim existimavi tacendum esse. Sperabam autem et confidebam fore ut e tanta Lysiae codicum multitudine unus certe optimae notae liber tandem inveniretur: quo facto ad Lysiam continuo reverti statueram. Sed haec spes egregie me fefellit neque unquam explebitur. Bekkero tamen in Lysia repugnare omnes hodie coacti sunt: quem virum constat Laurentiani codicis (C) interpolationibus saepe deceptum esse. Scimus enim nunc, id quod primus vidit sive A. Emperius, sive H. Sauppius, omnes Lysiae codices e Palatino s. Heidelbergensi No. 88 (X) velut e communi quodam fonte emanasse, ut scriptoris nostri salus ab unius et ejus non optimi codicis auctoritate pendeat. Itaque tam misere corruptum ad nos Lysiam pervenisse nemo mirabitur. Vindobonensis tamen codex, cui A. Westermannus meus multum tribuebat, ab Heidelbergensi, unde ipse quoque derivatus est, proxime videtur abesse. Denique Laurentianus (C) non merum est archetypi apographum, sed interpolationibus est refertus. Dixit autem Bekkerus e novem quos viderit Lysiae codd. sese, quos totos compararet, duos C et X elegisse. Et Laurentianus

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

quidem optime comparatus est, non item Heidelbergensis, uti nova collatio C. L. Kayseri clare docuit. Ita demum fieri potuit, ut Bekkerus Heidelbergensi male posthabito sequi mallet Laurentianum: quod quum Bekkeri tum Lysiae causa et doleo et puto dolendum esse. Ceterum ut Bekkeri opera Lysiae impensa olim nimis celebrata est, ita nunc editio viri eximii et graece doctissimi inique solet contemni. Haud raro enim Laurentianum bene sequutus est, cujus correctorem nec graece indoctum et valde acutum agnoverat, velut in nostra oratione § 64, ubi pro *μέν* quod habet X *μέντοι* recepit et § 62 ubi pro *μέν* (ita X) e C *μὲν οὖν* scripsit: hiat enim oratio nec nisi *οὖν* inseratur, ullo modo cohaeret. Absque Laurentiano esset, ipse Bekkerus per se *μέντοι* et *μὲν οὖν* correxisset: nunc vero quid faceret? num potuit vir summus mentiri? Concedo tamen correctiones libri C, quae in Lysia saepe recipiendae sunt, non aliam vim habere nisi conjecturae, neque unquam invito X codice probandas esse, nisi plane fuerint necessariae. Sed quanquam juvenis aliquot Lysiae locos verissime emendavi: mea tamen studia tam juvenilia cum eis quae paullo post vidimus minime comparanda sunt. Nam post Bekkerum doctissimi critici et longe subtilissimi magno numero in Lysia restituendo felicissime elaborarunt. Adeo omnia fere, quae quidem faciliore negotio corrigi queant, nobis hodie videmus praerepta esse. Inprimis enim supersunt aut tales loci, qui certo emendari non possint, velut mutili et lacunosi, aut qui aliis de causis incertam correctionem habeant saneque ambiguam. Utcunque erit, juvabit tamen Lysiae orationibus me quoque consulere pro virili parte studuisse. Etenim ut haud multum ipse proficiam, saltem e pluribus aliorum conjecturis optimam quamque potero seligere: qua laude contentum esse oportet, si quis nulla alia re literis prodesse nostris potuerit. Nimirum in Lysia quasi ad epulas et patinas, ad largas conjectorum struices invitati sumus: ut illud Flacci verissimum sit, „Tres mihi convivae prope dissentire videntur, Poscentes vario multum diversa palato.“ Huc accedit, quod Lysiae orationem duodecimam ab me recensitam nuper edidi: quae opella ab criticis egregiis tam benevole excepta est, ut mihi in his studiis pergenti animum addidisse videantur. Unum tamen deprecor, ne hic multum ab nobis agi potuisse arbitrentur, sed nihil aliud nisi subseciva tempora et ea Luciano surrepta tribui Lysiae potuisse. Sed audaciam meam A. Seidler, vir acutissimus et idem modestissimus excusabit, qui recte negat sperni solere, si quis ad pristinum scriptoris graeci nitorem restituendum vel exiguam situs particulam absterserit. Volueram autem de locis aliquot oratoris nostri lacunosis hic disserere: nisi otium ad omnia bene componenda necessarium me deficeret. Animadverti enim in scriptoribus antiquis ad lacunas parvas agnoscendum criticos nescio quo modo tardiores esse. Et in Lysia quidem res ita ante oculos sita est, ut non nunquam hoc vitiorum genus neminem unum latuerit. De aliis tamen ejusdem locis, quos tractare statueram, in utramque partem disputari videmus. Quanquam non ignoro, esse qui de magna lacunarum multitudine ne in Lysia quidem ullo modo dubitarint. Satis est unum nominasse P. Dobraeum, qui (in Adversar. T. I P. I. p. 221) de Or. XIII haec habet: „Oratio luculenta, sed glossis scatens, et hic ibi lacunosa, ut sunt reliquae.“ Quod ad me attinet, quo modo in universum de lacunis judicem, in editione Luciani (Vol. III P. I Praefat. p. VI.) satis ostendi. Quo quidem in loco cum uno mihi res est Luciano: de aliis autem scriptoribus veluti de Lysia ibi sciens prudensque tacui. Ampliores vero lacunae vix unquam latere possunt, ut in nostra oratione § 72. Hic quidnam in eis quae exciderunt dictum fuerit, quum e Lysia perspicere licet, tum e decreto, quod § 71 verbo tantum memoratur, sed ex parte servatum esse in Ussingii Inscript. Graec. no. 56 Bergkius noster vidit literis *ΚΑΙΑΓΟΡΑΤΟ* (i. e. *καὶ Ἀγόρατον*) ad nostrum Agoratum

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

optime revocatis. Ergo hoc Lysias dixerat, Agoratum et quosdam alios, quum se in Phrynichi caede patranda dixissent adjutores fuisse frustra id studuisse, ut ipsi quoque cum Thrasybulo et Apollodoro civitate donarentur. Hic igitur complura deesse primus animadvertit Taylorus, quem Bekker, Bremius, Foertschius, Scheibius, Cobetus, Rauchensteinius bene sequuti sunt. Omnes tamen in eo falli videntur, quod signa lacunae post *Ἀθηναῖον πεποιημένον* ponere non dubitant, quae potius ante has ipsas voces erant ponenda. Nam quum verbum *ἔδει* non patiatur sequi participium, sed poscat infinitivum et eum (ut aoristus est in protasi *ἀπέκτεινε*) aoristi: verisimile est, prima quae exciderunt verba fuisse haec: *Ἀθηναῖον γραφῆναι.* (non sine puncto). Extrema autem lacunae verba forsitan haec vel similia quaedam fuerint: (*ἀλλ' ὅμως οὐδένα αὐτῶν ἴσμεν*) *Ἀθηναῖον πεποιημένον.* Quod igitur et in primis quae exciderunt verbis et in primis quae post lacunam adhuc servata sunt, de eadem re i. e. de civitate attica agebatur: id viros doctos nuper fefellit, sicut olim librarium fefellerat, cujus oculus ab voce *Ἀθηναῖον* ad eandem *Ἀθηναῖον* aberraverat, ex quo ipso nata est lacuna. Quae quum ita sint, § 72 signa defectus ita potius constituenda sunt: *Καίτοι εἴπερ ἀπέκτεινε Φρύνιχον, ἔδει αὐτὸν ἐν τῇ αὐτῇ στήλῃ, ἵναπερ Θρασύβουλον καὶ Ἀπολλόδωρον .... Ἀθηναῖον πεποιημένον. τὰ μέντοι ὀνόματα διαπράττονται.* — Glossematis autem hasce orationes plenas esse nemo ignorat. Quo magis cavendum est, ne iis locis quorum vitia aliter sananda sunt, ipsius Lysiae verba temere deleantur. Veluti XIII, 61 Dobraeus p. 224 octo verba *καὶ Ξενοφῶν — Θάσιος* quasi ex § 54 male repetita delebat, hoc est sana verba delebat, mendosa autem ne attingebat quidem. Verba ipsa haec sunt: *ἐκεῖνος μὲν τοίνυν καὶ ὑπὸ σοῦ ἀπολλύμενος τοιουτοσὶ ἐγένετο, καὶ Ξενοφῶν ὁ στρεβλωθεὶς καὶ Ἱππίας ὁ Θάσιος· σὺ δ' οὐδέν* —. Hoc vult, imitandum fuisse Aristophanem, imitandos Xenophontem et Hippiam: quibus omnibus Agorati scelera multo gravius et melius opponuntur, quam uni Aristophani. Nam sic demum adparet non unum sed tres viros pro aliorum salute vitam profudisse. Quid, quod Hippias commode hic iterum nominatur, Xenophon autem necessario, qui ut peregrinus etiam tortus erat. Contra Aristophanes etsi ipse quoque peregrinus videbatur, nulla ille quidem senserat tormenta, attamen nihil propius factum erat, quam ut ipse quoque torqueretur eculeo. Haec quum verbis proximis insint, quo modo tandem verba *καὶ Ξενοφῶν ὁ στρεβλωθεὶς* delere licet? Immo quum Kayser pro verbis corruptis *καὶ ὑπὸ σοῦ ἀπολλύμενος* praeclare rescripsit *ὁ ὑπὸ σοῦ ἀπολόμενος,* tum ego pro verbis *τοιουτοσὶ ἐγένετο* jure mihi videor *τοιοῦτος ἐγένετο οἷος* supplevisse. Quare ita scribendum est: *ἐκεῖνος μὲν τοίνυν ὁ ὑπὸ σοῦ ἀπολόμενος τοιοῦτος ἐγένετο οἷος καὶ Ξενοφῶν ὁ στρεβλωθεὶς καὶ Ἱππίας ὁ Θάσιος· σὺ δ' οὐδέν* —. Similis ratio est loci longioris, in quo duas paragraphos 65 init. — 66 fin. quasi ab interpolatore profectas Hamaker delebat. At iste error jam ab H. Sauppio optime refutatus est quum aliis argumentis tum eo maxime, quod verbis § 66 his: *ἐλήφθη μοιχός — καὶ τούτου θάνατος ἡ ζημία ἐστί* temere deletis verba paullo inferiora § 69: *ὧν ἑκάστου ἁμαρτήματος ἐν τοῖς νόμοις θάνατος ἡ ζημία ἐστίν* ne intelligere quidem liceret. Nam § 65 vitium *ὤφλησεν* minime favet Hamakero, quod ab H. Sauppio in ed. Turic. p. 101 recte in *ὤφλεν* mutatum est, ut aliae ejusmodi mendae plurimae ab C. G. Cobeto sublatae sunt, qui ad talia diligenter attendere solet. Quisquis enim Lysiae codicem scripsit archetypum, homo fuit hellenismi bene intelligens, sed idem parum gnarus atticismi. Transeo nunc ad ipsum Lysiam, scriptorem multorum studiis tam saepe tamque luculente correctum. Atque ut modo duodecimam orationem edidi nullis instructam commentariis: ita nunc proximam quoque nudam projicio atque inermem.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

XIII.

ΛΥΣΙΟΥ
ΚΑΤΑ ΑΓΟΡΑΤΟΥ.

1 Προσήκει μὲν, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, πᾶσιν ὑμῖν τιμωρεῖν ὑπὲρ τῶν ἀνδρῶν, οἳ ἀπέθανον εὖνοι ὄντες τῷ πλήθει τῷ ὑμετέρῳ, προσήκει δὲ κἀμοὶ οὐχ ἥκιστα· κηδεστὴς γάρ μοι ἦν Διονυσόδωρος καὶ ἀνεψιός. τυγχάνει οὖν ἐμοὶ ἡ αὐτὴ ἔχθρα πρὸς Ἀγόρατον τουτονὶ καὶ τῷ πλήθει τῷ ὑμετέρῳ ὑπάρχουσα· ἔπραξε γὰρ οὗτος τοιαῦτα, δι' ἃ ὑπ'
2 ἐμοῦ νυνὶ εἰκότως μισεῖται ὑπό τε ὑμῶν, ἂν θεὸς θέλῃ, δικαίως τιμωρηθήσεται. Διονυσόδωρον γὰρ τὸν κηδεστὴν τὸν ἐμὸν καὶ ἑτέρους πολλοὺς, ὧν δὴ τὰ ὀνόματα ἀκούσεσθε, ἄνδρας ὄντας ἀγαθοὺς περὶ τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον, ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἀπέκτεινε, μηνυτὴς κατ' ἐκείνων γενόμενος. ποιήσας δὲ ταῦτα ἐμὲ μὲν ἰδίᾳ καὶ ἕκαστον τῶν προσηκόντων μεγάλα ἐζημίωσε, τὴν δὲ πόλιν κοινῇ πᾶσαν τοιούτων ἀνδρῶν ἀποστερήσας
3 οὐ μικρὰ, ὡς ἐγὼ νομίζω, ἔβλαψεν. ἐγὼ οὖν, ὦ ἄνδρες δικασταὶ, δίκαιον καὶ ὅσιον ἡγοῦμαι εἶναι καὶ ἐμοὶ καὶ ὑμῖν ἅπασι τιμωρεῖσθαι καθ' ὅσον ἕκαστος δύναται· καὶ
4 ποιοῦσι ταῦτα νομίζω ἡμῖν καὶ παρὰ θεῶν καὶ παρ' ἀνθρώπων ἄμεινον ἂν γίγνεσθαι. δεῖ δ' ὑμᾶς, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, ἐξ ἀρχῆς τῶν πραγμάτων ἁπάντων ἀκοῦσαι, ἵν' εἰδῆτε πρῶτον μὲν, ᾧ τρόπῳ ὑμῖν ἡ δημοκρατία κατελύθη καὶ ὑφ' ὅτου, ἔπειτα, ᾧ τρόπῳ οἱ ἄνδρες ὑπ' Ἀγοράτου ἀπέθανον, καὶ δὴ ὅ τι ἀποθνήσκειν μέλλοντες ἐπέσκηψαν· ἅπαντα γὰρ ταῦτα ἀκριβῶς ἂν μαθόντες ἥδιον καὶ ὁσιώτερον Ἀγοράτου τουτουὶ καταψηφίζοισθε. ὅθεν οὖν ἡμεῖς τε ῥᾷστα διδάξομεν καὶ ὑμεῖς μαθήσεσθε, ἐντεῦθεν ὑμῖν ἄρξομαι διη-
5 γεῖσθαι. Ἐπειδὴ γὰρ αἱ νῆες αἱ ὑμέτεραι διεφθάρησαν καὶ τὰ πράγματα ἐν τῇ πόλει ἀσθενέστερα ἐγεγένητο, οὐ πολλῷ χρόνῳ ὕστερον αἵ τε νῆες αἱ Λακεδαιμονίων ἐπὶ τὸν
6 Πειραιᾶ ἀφικνοῦνται καὶ ἅμα λόγοι πρὸς Λακεδαιμονίους περὶ τῆς εἰρήνης ἐγίγνοντο. ἐν δὲ τῷ χρόνῳ τούτῳ οἱ βουλόμενοι νεώτερα πράγματα ἐν τῇ πόλει γίγνεσθαι ἐπεβούλευον, νομίζοντες κάλλιστον καιρὸν εἰληφέναι καὶ μάλιστα ἐν τῷ τότε χρόνῳ τὰ πράγματα ὡς
7 αὐτοὶ ἠβούλοντο καταστήσεσθαι. ἡγοῦντο δὲ οὐδὲν ἄλλο σφίσιν ἐμποδὼν εἶναι ἢ τοὺς τοῦ δήμου προεστηκότας καὶ τοὺς στρατηγοῦντας καὶ ταξιαρχοῦντας. τούτους οὖν ἐβούλοντο ἀμωσγέπως ἐκποδὼν ποιήσασθαι, ἵνα ῥᾳδίως ἃ βούλοιντο διαπράττοιντο. πρῶτον
8 μὲν οὖν Κλεοφῶντι ἐπέθεντο ἐκ τρόπου τοιούτου. ὅτε γὰρ ἡ πρώτη ἐκκλησία περὶ τῆς εἰρήνης ἐγίγνετο, καὶ οἱ παρὰ Λακεδαιμονίων ἥκοντες ἔλεγον ἐφ' οἷς ἕτοιμοι εἶεν τὴν εἰρήνην ποιεῖσθαι Λακεδαιμόνιοι, εἰ κατασκαφείη τῶν τειχῶν τῶν μακρῶν ἐπὶ δέκα στάδια ἑκατέρου, τότε ὑμεῖς τε, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, οὐκ ἠνέσχεσθε ἀκούσαντες περὶ τῶν τειχῶν τῆς κατασκαφῆς, Κλεοφῶν τε ὑπὲρ ὑμῶν πάντων ἀναστὰς ἀντεῖπεν ὡς οὐδενὶ
9 τρόπῳ οἷόν τε εἴη ποιεῖν ταῦτα. μετὰ δὲ ταῦτα Θηραμένης, ἐπιβουλεύων τῷ πλήθει τῷ ὑμετέρῳ, ἀναστὰς λέγει ὅτι, ἐὰν αὐτὸν ἕλησθε περὶ τῆς εἰρήνης πρεσβευτὴν αὐτοκράτορα, ποιήσει, ὥστε μήτε τῶν τειχῶν διελεῖν μήτε ἄλλο τὴν πόλιν ἐλαττῶσαι μηδέν· οἴοιτο
10 δὲ καὶ ἄλλο τι ἀγαθὸν παρὰ Λακεδαιμονίων τῇ πόλει εὑρήσεσθαι. πεισθέντες δὲ ὑμεῖς εἵλεσθε ἐκεῖνον πρεσβευτὴν αὐτοκράτορα, ὃν τῷ προτέρῳ ἔτει στρατηγὸν χειροτονηθέντα
11 ἀπεδοκιμάσατε, οὐ νομίζοντες εὔνουν εἶναι τῷ πλήθει τῷ ὑμετέρῳ. ἐκεῖνος μὲν οὖν ἐλθὼν εἰς Λακεδαίμονα ἔμεινεν ἐκεῖ πολὺν χρόνον, καταλιπὼν ὑμᾶς πολιορκουμένους, εἰδὼς

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

τὸ ὑμέτερον πλῆθος ἐν ἀπορίᾳ ἐχόμενον καὶ διὰ τὸν πόλεμον καὶ τὰ κακὰ τοὺς πολλοὺς τῶν ἐπιτηδείων ἐνδεεῖς ὄντας, νομίζων, εἰ διαθείη ὑμᾶς, ὥσπερ διέθηκεν, ἀσμένως ὁποιαντινοῦν ἐθελῆσαι ἂν εἰρήνην ποιήσασθαι. οἱ δ' ἐνθάδε ὑπομένοντες καὶ ἐπιβουλεύοντες καταλῦσαι τὴν δημοκρατίαν εἰς ἀγῶνα Κλεοφῶντα καθιστᾶσι, πρόφασιν μὲν ὅτι οὐκ ἦλθεν εἰς τὰ ὅπλα ἀναπαυσόμενος, τὸ δ' ἀληθὲς ὅτι ἀντεῖπεν ὑπὲρ ὑμῶν μὴ καθαιρεῖν τὰ τείχη. ἐκείνῳ μὲν οὖν δικαστήριον παρασκευάσαντες καὶ εἰσελθόντες οἱ βουλόμενοι ὀλιγαρχίαν καταστήσασθαι ἀπέκτειναν ἐπὶ τῇ προφάσει ταύτῃ. Θηραμένης δὲ ὕστερον ἀφικνεῖται ἐκ Λακεδαίμονος. προσιόντες δ' αὐτῷ τῶν τε στρατηγῶν τινὲς καὶ τῶν ταξιάρχων, ὧν ἦν Στρομβιχίδης καὶ Διονυσόδωρος, καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν πολιτῶν εὐνοοῦντες ὑμῖν, ὡς γ' ἐδήλωσαν ὕστερον, ἠγανάκτουν σφόδρα. ἦλθε γὰρ φέρων εἰρήνην τοιαύτην, ἣν ἡμεῖς ἔργῳ μαθόντες ἔγνωμεν· πολλοὺς γὰρ τῶν πολιτῶν καὶ ἀγαθοὺς ἀπωλέσαμεν καὶ αὐτοὶ ὑπὸ τῶν τριάκοντα ἐξηλάθημεν. ἦν γὰρ ἀντὶ μὲν τοῦ ἐπὶ δέκα στάδια τῶν μακρῶν τειχῶν διελεῖν ὅλα τὰ μακρὰ τείχη κατασκάψαι, ἀντὶ δὲ τοῦ ἄλλο τι ἀγαθὸν τῇ πόλει εὑρέσθαι τάς τε ναῦς παραδοῦναι τοῖς Λακεδαιμονίοις καὶ τὸ περὶ τὸν Πειραιᾶ τεῖχος περιελεῖν. ὁρῶντες δὲ οὗτοι οἱ ἄνδρες ὀνόματι μὲν εἰρήνην λεγομένην, τῷ δ' ἔργῳ τὴν δημοκρατίαν καταλυομένην, οὐκ ἔφασαν ἐπιτρέψειν ταῦτα γενέσθαι· οὐκ ἐλεοῦντες, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τὰ τείχη, εἰ πεσεῖται, οὐδὲ κηδόμενοι τῶν νεῶν, εἰ Λακεδαιμονίοις παραδοθήσονται, (οὐδὲν γὰρ αὐτοῖς τούτων πλέον ἢ ὑμῶν ἑκάστῳ προσῆκεν), ἀλλ' αἰσθόμενοι ἐκ τοῦ τρόπου τούτου τὸ ὑμέτερον πλῆθος καταλυθησόμενον, οὐδ' (ὡς φασί τινες) οὐκ ἐπιθυμοῦντες εἰρήνην γίγνεσθαι, ἀλλὰ βουλόμενοι βελτίω ταύτης εἰρήνην τῷ δήμῳ τῶν Ἀθηναίων ποιήσασθαι. ἐνόμιζον δὲ δυνήσεσθαι, καὶ ἔπραξαν ἂν ταῦτα, εἰ μὴ ὑπ' Ἀγοράτου τουτουΐ ἀπώλοντο. γνοὺς δὲ ταῦτα Θηραμένης καὶ οἱ ἄλλοι οἱ ἐπιβουλεύοντες ὑμῖν, ὅτι εἰσί τινες οἳ κωλύσουσι τὸν δῆμον καταλυθῆναι καὶ ἐναντιώσονται περὶ τῆς ἐλευθερίας, εἵλοντο, πρὶν τὴν ἐκκλησίαν τὴν περὶ τῆς εἰρήνης γενέσθαι, τούτους πρῶτον εἰς διαβολὰς καὶ κινδύνους καταστῆσαι, ἵνα μηδεὶς ἐκεῖ ὑπὲρ τοῦ ὑμετέρου πλήθους ἀντιλέγοι. ἐπιβουλὴν οὖν τοιαύτην ἐπιβουλεύουσι. πείθουσι γὰρ Ἀγόρατον τουτονὶ μηνυτὴν κατὰ τῶν στρατηγῶν καὶ τῶν ταξιάρχων γενέσθαι, οὐ ξυνειδότα ἐκείνοις, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, οὐδέν· (οὐ γὰρ δήπου ἐκεῖνοι οὕτως ἀνόητοι ἦσαν καὶ ἄφιλοι, ὥστε περὶ τηλικούτων ἂν πραγμάτων πράττοντες Ἀγόρατον ὡς πιστὸν καὶ εὔνουν, δοῦλον καὶ ἐκ δούλων ὄντα, παρεκάλεσαν) ἀλλ' ἐδόκει αὐτοῖς οὗτος ἐπιτήδειος εἶναι μηνυτής. ἐβούλοντο οὖν ἄκοντα δοκεῖν αὐτὸν καὶ μὴ ἑκόντα μηνύειν, ὅπως πιστότερος ὑμῖν εἶναι φαίνοιτο. ὡς δὲ ἑκὼν ἐμήνυσε, καὶ ὑμᾶς οἶμαι ἐκ τῶν πεπραγμένων αἰσθήσεσθαι. ἐσπέμπουσι γὰρ εἰς τὴν βουλὴν τὴν πρὸ τῶν τριάκοντα βουλεύουσαν Θεόκριτον τὸν τοῦ Ἐλαφοστίκτου καλούμενον· ὁ δὲ Θεόκριτος οὗτος ἑταῖρος ἦν τῷ Ἀγοράτῳ καὶ ἐπιτήδειος. ἡ δὲ βουλὴ διέφθαρτο καὶ ὀλιγαρχίας ἐπεθύμει, ὡς ἴστε, μάλιστα. τεκμήριον δέ· οἱ γὰρ πολλοὶ οἱ ἐξ ἐκείνης τῆς βουλῆς τὴν ὑστέραν βουλὴν τὴν ἐπὶ τῶν τριάκοντα ἐβούλευον. τοῦ δ' ἕνεκα ταῦτα λέγω ὑμῖν; ἵν' εἰδῆτε ὅτι τὰ ψηφίσματα τὰ ἐξ ἐκείνης τῆς βουλῆς οὐκ ἐπ' εὐνοίᾳ τῇ ὑμετέρᾳ, ἀλλ' ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου τοῦ ὑμετέρου ἅπαντα ἐλέγετο, καὶ ὡς τοιούτοις οὖσιν αὐτοῖς τὸν νοῦν προσέχητε. εἰσελθὼν δὲ εἰς ταύτην τὴν βουλὴν ἐν ἀπορρήτῳ Θεόκριτος μηνύει ὅτι συλλέγονταί τινες ἐναντιωσόμενοι τοῖς τότε καθισταμένοις πράγμασι. τὰ μὲν οὖν ὀνόματα οὐκ ἔφη αὐτῶν ἐρεῖν καθ' ἕκαστον· ὅρκους τε γὰρ ὀμωμοκέναι τοὺς αὐτοὺς ἐκείνοις, καὶ εἶναι ἑτέρους οἳ ἐροῦσι τὰ ὀνόματα, αὐτὸς δὲ οὐκ ἄν ποτε ποιῆσαι ταῦτα. καίτοι εἰ μὴ ἐκ παρασκευῆς ἐμηνύετο, πῶς οὐκ ἂν ἠνάγκασεν ἡ βουλὴ εἰπεῖν τὰ ὀνόματα Θεόκριτον καὶ μὴ ἀνώνυμον τὴν μήνυσιν ποιήσασθαι; νυνὶ δὲ τοῦτο τὸ ψήφισμα ψηφίζεται.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

ΨΗΦΙΣΜΑ.

23 Ἐπειδὴ τοίνυν τοῦτο τὸ ψήφισμα ἐψηφίσθη, κατέρχονται ἐπὶ τὸν Ἀγόρατον εἰς τὸν Πειραιᾶ οἱ αἱρεθέντες τῶν βουλευτῶν, καὶ περιτυχόντες αὐτῷ ἐν ἀγορᾷ ἐζήτουν ἄγειν. παραγενόμενοι δὲ Νικίας καὶ Νικομέ[ν]ης καὶ ἄλλοι τινὲς, ὁρῶντες τὰ πράγματα οὐχ οἷα βέλτιστα ἐν τῇ πόλει ὄντα, ἄγειν μὲν τὸν Ἀγόρατον οὐκ ἔφασαν προήσεσθαι, ἀφῃροῦντο
24 δὲ καὶ ἠγγυῶντο καὶ ὡμολόγουν παρέξειν εἰς τὴν βουλήν. γραψάμενοι δὲ οἱ βουλευταὶ τὰ ὀνόματα τῶν ἐγγυωμένων καὶ κωλυόντων, ἀπιόντες ᾤχοντο εἰς τὸ ἄστυ. ὁ δὲ Ἀγόρατος καὶ οἱ ἐγγυηταὶ καθίζουσιν ἐπὶ τὸν βωμὸν Μουνυχίασιν· ἐπειδὴ δὲ ἐκάθισαν, ἐβουλεύοντο τί χρὴ ποιεῖν. ἐδόκει οὖν τοῖς ἐγγυηταῖς καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἐκποδὼν
25 ποιήσασθαι τὸν Ἀγόρατον ὡς τάχιστα. καὶ παρορμίσαντες δύο πλοῖα Μουνυχίασιν ἐδέοντο αὐτοῦ παντὶ τρόπῳ ἀπελθεῖν Ἀθήνηθεν, καὶ αὐτοὶ ἔφασαν συνεκπλευσεῖσθαι, ἕως τὰ πράγματα κατασταίη, λέγοντες ὅτι, εἰ κομισθείη εἰς τὴν βουλὴν, βασανιζόμενος ἴσως ἀναγκασθήσεται ὀνόματα εἰπεῖν Ἀθηναίων ὧν ἂν ὑποβάλωσιν οἱ βουλόμενοι κακόν
26 τι ἐν τῇ πόλει ἐργάζεσθαι. ταῦτα ἐκείνων δεομένων καὶ παρασκευασάντων πλοῖα καὶ αὐτῶν ἑτοίμων ὄντων συνεκπλεῖν, οὐκ ἠθέλησε πείθεσθαι αὐτοῖς Ἀγόρατος οὑτοσί. καίτοι, ὦ Ἀγόρατε, εἰ μή τί σοι ἦν παρεσκευασμένον καὶ ἐπίστευες μηδὲν κακὸν πείσεσθαι, πῶς οὐκ ἂν ᾤχου καὶ πλοίων παρεσκευασμένων καὶ τῶν ἐγγυητῶν ἑτοίμων ὄντων σοι συνεκ-
27 πλεῖν; ἔτι γὰρ οἷόν τέ σοι ἦν καὶ οὔπω ἡ βουλή σου ἐκράτει. ἀλλὰ μὲν δὴ οὐχ ὅμοια σοί τε καὶ ἐκείνοις ὑπῆρχε. πρῶτον μέν γε Ἀθηναῖοι ἦσαν, ὥστε οὐκ ἐδέδισαν βασανισθῆναι· ἔπειτα πατρίδα σφετέραν αὐτῶν καταλιπόντες ἕτοιμοι ἦσαν συνεκπλεῖν μετὰ σοῦ, ἡγησάμενοι ταῦτα μᾶλλον λυσιτελεῖν ἢ τῶν πολιτῶν πολλοὺς καὶ ἀγαθοὺς ὑπὸ σοῦ ἀδίκως ἀπολέσθαι. σοὶ δὲ πρῶτον μὲν κίνδυνος ἦν βασανισθῆναι ὑπομείναντι, ἔπειτα
28 οὐ πατρίδα ἂν σαυτοῦ κατέλιπες· ὥστ' ἐκ παντὸς τρόπου σοὶ μᾶλλον ἢ ἐκείνοις ἐκπλεῦσαι συνέφερεν, εἰ μή τι ἦν ᾧ ἐπίστευες. νῦν δὲ ἄκων μὲν προσποιῇ, ἑκὼν δὲ πολλοὺς καὶ ἀγαθοὺς Ἀθηναίων ἀπέκτεινας. (Continuabitur.)

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., 1) privatim ternis diebus, Lunae, Martis et Mercurii, h. IX. encyclopaediam et methodologiam theologicam tradet; 2) privatim quinis diebus h. X et binis diebus, Jovis et Veneris, h. IX theologiam dogmaticam docebit; 3) publice in Seminarii sodalitio homileticas sodalium exercitationes die Saturni h. IX et h. X moderabitur.

D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., 1) privatim quinis diebus h. III epistolam ad Hebraeos interpretabitur; 2) privatim quinis diebus h. IV Pauli ad Corinthios epistolam primam, et 3) publice die Saturni h. III et h. IV Pauli ad Corinthios epistolam alteram explicabit.

D. Joannes Bachmann, P. P. O., h. t. Dec., I) privatim 1) introductionem historicam et criticam in V. T. tradet, quinquies p. h. hora XII; 2) Psalmos interpretabitur, quinis p. h. scholis hora XI; II) publice grammaticam linguae Syriacae, duce Fr. Uhlemanni libro, adumbrabit, binis p. h. horis defin.; III) privatissime sed gratis in conversatorio exegetico Cantica, quae in V. Ti. libris historicis traduntur, explicanda proponet, die Veneris h. VI—VIII vesp.

D. Augustus Guilielmus Dieckhoff, P. P. O., 1) privatim historiae ecclesiasticae partem secundam quinquies p. h. h. VIII, 2) privatim historiam dogmatum quinquies p. h. h. XII tradet, et 3) publice exercitationes catecheticas in Seminario die Saturni h. XI et h. XII moderabitur.

In ordine juridico.

D. Otto Mejer, P. P. O., 1) jus ecclesiasticum commune et Mecklenburgicum docebit quinquies p. h. h. XI; 2) encyclopaediam juris quinquies h. c.

D. Hermannus Augustus Schwanert, P. P. O., h. t. Dec., 1) pandectarum partem I (praecepta generalia et jura in re) senis p. h. scholis h. X, et 2) doctrinam de hereditatibus quinis scholis docebit h. XII; 3) collegium quod vocant civile practicum instituet die Saturni hh. III—V.

D. Hugo Boehlau, P. P. O., 1) jus Germanicum privatum docebit quinquies p. h. h. XII; 2) jus civile Mecklenburgicum particulare tradet ter p. h. h. IV; 3) jus feudale tam commune quam Mecklenburgicum exponet ter p. h. h. IV.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

D. Carolus Dugge, P. P. O., 1) processum civilem tam communem quam Mecklenburgicum particularem docebit quinquies hh. IX—XI; 2) practicum quod vocant processus civilis moderabitur hh. cc.

D. Augustus Thon, P. P. O., 1) pandectarum partem II (de obligationibus nec non de jure personarum) docebit senis p. h. scholis h. IX; 2) institutiones juris Romani tradet quinis p. h. scholis h. XI; 3) exercitationes exegeticas moderabitur diebus Martis et Veneris h. V.

In ordine medico.

D. Hermannus Stannius, P. P. O., adversa valetudine impeditus lectiones nullas habebit.

D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) pathologiam et therapiam specialem quaternis diebus h. IX docebit; 2) de aegrotis policlinicis disseret hh. definiendis; 3) exercitationes practicas in clinico medico diebus Lunae, Mercurii et Veneris hh. X et XI moderabitur.

D. Hermannus Rudolphus Aubert, P. P. O., 1) publice encyclopaediam scientiae medicae diebus Lunae et Jovis h. III—IV, 2) publice embryologiam diebus Mercurii et Saturni h. III—IV docebit; 3) privatim physiologiae partem priorem (functiones animales) quotidie h. IX—X; 4) privatim omnium ordinum commilitonibus Hygieinen tradet diebus Martis et Veneris h. V—VI.

D. Guilielmus de Zehender, P. P. O., 1) ophthalmologiam quaternis p. h. horis IX—X docebit; 2) exercitationes practicas in clinico ophthalmiatrico diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. XII—II; 3) exercitationes ophthalmoscopicas horis definiendis moderabitur.

D. Franciscus Koenig, P. P. O., h. t. Dec., 1) chirurgiam generalem docebit quinis diebus; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico diebus Martis, Jovis, Saturni h. XI—I moderabitur.

D Fridericus Schatz, P. P. O., 1) in clinico gynaecologico exercitationes practicas quinquies p. h. moderabitur h. VIII; 2) mulierum morbos ternis horis p. h., 3) medicinam forensem ternis horis p. h. docebit.

D. Fridericus Sigm. Merkel, P. P. O., privatim 1) osteologiam et syndesmologiam dd. Lunae, Mercurii, Veneris h. IX—X; 2) anatomes c. h. partem priorem sexies p. h. h. XII—I docebit; 3) anatomiam topographicam trunci c. h. ter p. h. tradet; 4) privatissime exercitationes anatomicas quotidie h. X—XII, 5) exercitationes microscopicas ter p. h. moderabitur.

D. Guilielmus Brummerstaedt, 1) artem obstetriciam docebit ternis p. h. horis; 2) de morbis mulierum disseret quaternis p. h. horis; 3) cursum operationum quae in arte obstetricia adhibentur moderabitur bis p. h.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010

In ordine philosophico.

D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O., Academiae Senior, privatim 1) ternis diebus h. XI Platonis Convivium explicabit; 2) binis diebus h. XI Terenti Adelphos interpretabitur; 3) binis diebus h. II de linguae graecae dialectis inprimis de atticismo exponet. Publice exercitationes Seminarii philologici moderari perget, in quo Sophoclis Electra et Horati epistola ad Pisones tractabuntur.

D. Joannes Roeper, P. P. O., privatim docebit: 1) familias plantarum naturales, demonstrationibus vegetabilium medicinalium illustrandas, ternis diebus h. XI; 2) historiam plantarum cryptogamarum, ternis diebus h. XI; 3) anatomen et physiologiam vegetabilium, binis diebus h. X.

D. Eduardus Danielus Henricus Becker, P. P. O., privatim 1) quinquies p. h. culturam silvarum docebit h. XI; 2) de praedio rite administrando exponet, quinis diebus h. III.

D. Ludovicus Bachmann, P. P. O., privatim 1) Callimachi hymnos et epigrammata ter p. h., 2) Apollonii Rhodii Argonautica ter p. h. interpretabitur. Privatissime quater p. h. de artis operibus, quae in Pausaniae descriptione Graeciae commemorantur disputabit.

D. Hermannus Karsten, P. P. O., h. t. Rector, docebit publice: astronomiam popularem, bis p. h.; privatim: 1) calculum differentialem quater p. h.; 2) mineralogiam quater p. h. horis definiendis.

D. Hermannus Roesler, P. P. O., tractabit 1) administrationem publicam ac politiam, senis p. h. horis, h. IX; 2) statisticen, quaternis p. h. horis, h. X.

D. Fridericus Guilielmus Schirrmacher, P. P. O., 1) privatim historiam saeculi XVII et XVIII narrabit quinis diebus h. XII; 2) publice de Gallorum seditione a. 1789 exorta disseret binis diebus h. XI; 3) publice exercitationibus historicis methodum historiae tradet ternis diebus.

D. Henricus de Stein, P. P. O., h. t. Dec., 1) religionis philosophiam ter p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii h. V—VI docebit; 2) historiam philosophiae antiquae quater p. h. diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis h. IV—V; 3) historiam paedagogices inde ab renatis literis usque ad hodiernum tempus ter p. h. diebus Jovis, Veneris, Saturni h. V—VI tradet.

D. Reinholdus Bechstein, P. P. O., privatim 1) historiam literarum germanicarum antiquiorum tradet ter p. h. h. X—XI; 2) linguam Provincialem medii aevi docebit simulque carmina selecta interpretabitur ex libro Caroli Bartschii „Provenzalisches Lesebuch“ bis p. h. h. IX—X; 3) privatissime sed gratis: conversationes cum sodalibus instituet de dialectis linguae theodiscae, praesertim de sermone Megapolitano semel p. h. h. X—XI; 4) exercitationes Seminarii Germano-philologici moderari perget, in quo poema „diu klage“ dictum tractabitur.

D. Arminius Comes Lippe, P. P. O., privatim 1) de augenda animalium prole disseret bis p. h.; 2) de fundis emendandis exponet bis p. h.; 3) conversatorium habebit quater p. h.; 4) publice agri bene colendi doctrinam universalem tradet bis p. h.

D. Henricus Grenacher, P. P. O. des., zoologiam tradet quinquies p. h.

D. Carolus Weinholtz, privatim 1) introductionem in artem philosophandi tradet; 2) ideismi practici lineamenta ex systemate suo docebit; 3) linguae originem organicam et evolutionem pneumaticam exponet, spectabitque libellum suum: „Zur Erklärung des Ursprungs“ etc. (Lips. 1854) nec non libellum suum: „Die organische Sprechschrift“ etc. (Rost. 1860).

D. Julius Robert, 1) privatim quater p. h. de lingua gallica scholas habebit; 2) privatim historiam literarum francogallicarum docebit quater p. h.; 3) privatim de variationibus linguae gallicae disseret bis p. h.

D. Ferdinandus de Roda, in Seminarii sodalitio cantum liturgicum in usum theologorum publice docebit quater p. h.

D. Fridericus Guilielmus Martinus Philippi, 1) privatim vaticinia prophetarum Hoseae, Jonae, Habacuci ter p. h. h. XI explicabit; 2) privatim prophetarum Targumim (ed. de Lagarde) bis p. h. interpretabitur; 3) privatim grammaticam linguae arabicae non sine explicatione Chrestomathiae ed. Arnold bis p. h. tradet; 4) privatim elementa linguae sanscriticae una cum Hitopadeçae explicatione bis p. h. docebit; 5) gratis societatem habebit grammaticam in qua interpretationi prophetarum Nahumi et Zephaniae bis p. h. praeerit.

D. Octavius Clason, 1) privatim politicen quam vocant Romanorum et internam rei publicae historiam (antiquitates) quaternis horis, 2) privatim literarum Graecarum inde ab initio historiam quaternis horis, 3) publice Sallustii Catilinam adhibito codice Academiae Rostochiensis Sallustiano binis horis exponet; 4) privatissime et gratis exercitationes criticas moderari binis horis perget.

D. Theodorus Huebener, privatim 1) chemiam organicam tradet quaternis diebus p. h.; 2) eos qui arti agriculturae student introducet in elementa chemiae agriculturae quater p. h.; 3) physicen quoad ad agriculturam pertinet docebit bis p. h.; 4) exercitationes chemicas moderabitur, vel diebus Martis et Veneris h. III—VII, vel quotidie omnibus horis commodis.

Bibliotheca Academica extra ferias patebit quaternis diebus h. XII—I, festis diebus et solis die exceptis et praeterea quolibet Mercurii et Saturni die h. XI—I. **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi occasio data est. Sunt etiam magistri publice constituti, qui alias quasdam artes liberales profiteantur.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

Hermannus Karsten, Ph. D.

Praesidet ordini Theologorum **Joannes Bachmann,** Th. D.
Jurisconsultorum **Hermannus Schwanert,** J. U. D.
Medicorum **Franciscus Koenig,** M. D.
Philosophorum **Henricus de Stein,** Ph. D.

Preview: Personal- u. Vorlesungsverzeichnisse, © Universitätsbibliothek Rostock 2010